Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 829
Quelle:
Copyright:

ri, unde liquet, in Eccleſia quadam hanc Narrationem in B. *Gregorii* Feſto ad Matutinum quondam lectam fuiſſe, aut fortaſſis etiam nunc legi. Operis jam initium, ut in Editis: *Reuerentiſſimo — Dudum te frater beatiſſime* &c. Diviſio Librorum XXXV. exacta eſt; Capitum vero loco breviores Articuli literis majuſculis miniatis diſtinguuntur. Quae tractantur, indicantur in margine Lemmatibus; haec autem poſt Libri XXVI. medium diſparent. Lectio valde correcta eſt, vixque notari merentur, quae percurrendo praeviam ad *Leandrum* Epiſtolam obſervavi: *tutiſſimi litoris* pro *tuti*, *quam habendo* pro *quia*, *internis miniſteriis* rectius pro *myſteriis*, *licentius incubarem* pro *excubarem*, *iuncti caritate* pro *vincti*, *laſſatusque occubui* pro *ſuccubui* &c. Ad calcem litera quadrata miniata: *Explicit Magnus Liber De Moralibus Beati Job.* Autoris nomen toto Opere, ſi tardius ſcriptam *Narrationem* illam demas, non comparet.

CCCLXX.

R. 58 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. olim praeter Indices praemiſſos 284. nunc una cum iis 270. f. per duas columnas nitidiſſime, ſed minutius exaratus, et coloribus diſtinctus Exemplum eſt S. *Gregorii Moralium in Job* omnino ſpecioſum, quo magis indigneris inſano Furcifero, qui pluribus in locis illud literarum deauratarum ergo mutilavit. Praemiſſus eſt Index rerum notabilium. Hunc excipiunt *Librorum* XXXV. *Capita* aliter tamen diſtributa, quam in Edit. *Maur. Pariſ.* 1705. f. Succedit Relatio illa de inventis Libris *Moralium S. Gregorii*, quae etiam in dicta Edit. praeſto eſt, nobis autem ita exciſa, ut nihil aliud obſervari poſſit, quam a vulgata penitus diverſam fuiſſe. Incipit enim: *Cindaſuindus rex gotb* — — Idem indicant et reliqua linearum, quae ſuperſunt, initia. Truncata pariter eſt cum hac Relatione, quae illi cohaerebat, *Epiſtola ad Leandrum* usque ad illa verba: *diſceſſerat. quo pacto hanc fieri ſolitariam exorat.* Atque ita deinceps plurium Librorum initia ob characteres auro coloribusque illuſtres immitem cultrum experta ſunt. Ceterum omnia ſolertiae veſtigia Codex exhibet; Numeri *Partium* et *foliorum* in fronte, *Capitum* in Lateribus paginarum adſunt a prima manu, quin et varietas lectionis, quae etſi cum Editis plurimum conſpiret, conferri tamen olim meruiſſet Exemplar; mox enim in *Praefat.* ſive C. I. pro: *Iſraeliticorum Judicum tempore fuiſſe ſignatur*, legit: *yſraelitarum regum tempora preiſſe perbibetur*, quod Editoribus in nullo ſuorum Codicum occurriſſe videtur. Ad calcem haec legas: *Hoc opus finitum eſt cum auxilio ibeſu chriſti Anno ab incarnatione domini noſtri ibeſu chriſti. M. CC. XXXIII. IX. die exeunte menſe marcii. tempore domini gregorii pape noni.* Qui anno ſequente *Decretales* ſuas emiſit.

CCCLXXI.